IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 55v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



in carne mea ab instanti vindicte tue in adam et in me
implete non est pax in interioribus viribus anime mee
quia carnis vicijs impugnatur et hoc tantum propter
peccata mea
Et apertius exponens mala sua ait Quoniam iniquita-
tes mee inualuerunt supra me dominando ut anima mea
uicta succumberet, que sicut onus graue grauiter deprimunt
me ad terram ne me erigere possim
In hoc etiam afflictus sum quod Plage peccatorum per baptismum
et per penitenciam sanate computruerunt in cogitacione
mea delectando me in illis et corrupte sunt exterius ad
actum perducendo et hoc propter stulticiam meam multum enim
insipiens est qui semel sanatus iterum sponte recidi-
uat
Et quia putruerunt cicatrices mee Multis miserijs af-
flictus sum et peccatorum meorum pondere curuatus usque
ad mortem tota vita mea contristatus indignum me esse
iudicans erigere oculos ad celum incedebam
Contristatus sum Quoniam sensualitas aut carnalitas
mea completa est illusionibus que a dyabolo varijs tem-
tacionibus fatigatur et per hoc iterum non est sanitas in carne
mea quam dyabolus affligit
Hinc Afflictus sum nimis ita ut nichil in me liberum
sit a calamitate et ideo vehementi gemitu cordis mei
doleo me peccasse
Quod tu quidem nosti Quoniam ante te quem nullum
latet secretum est omne desiderium meum et gemitus meus
pro peccatis meis a te non est absconditus sed exauditus
quia pius es cum non pro terrenis sed pro anime libe-
racione supplicatur
Inde dolor et gemitus meus quia Cor meum contur-
batum est in me quia mens mea succubuit passionibus
et ita pacem suam amisit dereliquit me virtus mea
robur paciencie et lumen oculorum i. racio perturbati

Sensualitas
al implete